







L. A. G.

PACE RELIGIOSA

GIUSEPPE MARIA TISCHBROGGHESI

ITALIANO, LATINO, AMICO

9 C 16





L1931

AD
SÆCVLAREM CELEBRITATEM
DE
PACE RELIGIOSA

AVGVSTAE VINDELICORVM

d. xxv. Sept. clo loly.

SANCITA

IN

GYMNASIO MARTISVURGensi

d. xxx. Sept. clo lccc lv.

FESTIVE INSTITVENDAM,

PATRONOS, FAVTORES, AMICOS,

QVA FASEST PIETATE

INVITAT

M. BALTHASAR HOFFMANN

RECTOR.

MARTISVURGI,

EX OFFICINA LAITENBERGERIANA.



Omnia in Civitate Dei, quæ ejus est Ecclesia, sicuti re quidem vera sunt, ut sint augusta atque magnifica, Augustissimus Augustus, Patriæ Pater clementissimus, pro ea, quæ in civis suos impense fertur, gratia, nuper in terris suis Saxonici peculiari edicto divulgari jussit, ut, qui Augustanæ Confessioni adferibimur, appropinquantem Memoriam Secularem Pacis Religiosæ, Augustæ Vindelicorum, anno dlo 1545, inter Gloriosissimum Imperatorem, Carolum V. cujus vices Ferdinandus frater, Romanorum rex, tum sustinebat, & inter Principes, Status et Ordines S. R. Imperii, utriusque Religionis, Pontificiæ pariter ac Evangelicæ, in comitiis publicis facita, quæ fas est festivitate et pietate, solemniter celebremus. Celebravimus utique, & adhuc celebramus tam eximiam divini Numinis benignitatem, et, quæ in toto Pacis illius componendæ negotio, mirifice eluxit, singularem Ejus, de stabilienda Ecclesiæ nostræ Evangelicæ tranquillitate, curam et providentiam ex animo prædicamus. Audivimus hesternæ luce, quæ, bono quidem omine, Archangelo Michaeli, qui ipse Christus, suorum nostrorumque hostium triumphator est, sacra inscribitur, audivimus, inquam, in sacris ædibus ora Præconum divini verbi, uti laudum divinarum plenissima, ita ardentissimis supplicationibus suspiriisque, pro perpetua Ecclesiæ nostræ salute ad Deum missis, effusissima. Audivimus sacra, divino honori et gloriæ dicata, piarum mentium cantica, vel inter concentus musicos hilariter sonantia. Vultus vidimus omnium, certatim sibi invicem de tanta sæculi felicitate quasi gratulantium. Et sane gravissima nobis gratias immortalis Numini et agendi, et habendi subest causa; quod inter infensissimorum armorum strepitus nostram Ecclesiam non tantum sua dextra, tanquam fortissimo umbone, protexit, contraque hostium dirisimas iras fidam teclam servavit: sed aureæ etiam illius Pacis fœdera, Religionis ergo inita, per duo retro secula ita firmavit, ut, cum piis Majoribus nostris, Gloriosissimi Joannis Georgii I. temporibus, tum nobis hodieque, exoptatissima in tranquillitate, Hilaria hæc secularia tuto celebrare liceat. Nec enim desuit maximus rerum humanarum Arbitrator Magnatum et Principum Evangelicorum consiliis, quin rem Protestantium, quavis oblata occasione, fortiter tuerentur, aut saltem commendarent. Pacem inde Westphalicam assertorem libertatis nostræ ecclesiasticæ habemus strenuissimum. Quin imo lege quasi publica Sacris Protestantium cautum est, ut inaugurandis Imperatoribus tutela Protestantium jurejurando injungatur, commendetur. Quæ jura, Ecclesiæ Evangelicæ sancte servanda, à Ferdinandi I. temporibus ad Maximilianum II. ad Rudolphum II. ad Mathiam, ad Ferdinandum II. et III. et ad eorundem in imperio successores translata, et ante solemnem coronandi actum observata hucusque fuerunt. Quæ, præter Dei curam, hominum cautio eo justior magisque necessaria est, quo gravior res est, ad quam attinet: quandoquidem non terrena saltem, sed cœlestia in primis, ad conscientiarum libertatem, honoremque Deo integre præstandum, pertinentia bona complectitur. Hæc enim summa Pacis Religiosæ, toties predicata, est: ut non bona tantum ecclesiastica, quæ ad Protestantium possessiones accesserant, imperturbata quiete possiderent; verum etiam in provinciis ac regionibus per universam Germaniam libero Sacrorum suorum usu gauderent apprine, æternoque pacis, concordiæ et tranquillitatis vinculo utraq; dissidentium partes constringantur.

Magna hæc omnino, prorsusque divina, et ipsi Ecclesiæ nostræ tam gloriosa sunt, ut nullis unquam mortalium linguis satis extolli posse videantur. Verum enim vero cuncta ea, quæ de Pacis hujus præstantia edisseruimus, externam saltem Pacis effingunt faciem, cujus ingenium hoc est, ut ne membra, quæ totum corpus conficiunt, se invicem dilacerent atque conturbent. Vtinam hæc Pax et ea esset indole, ut interna quoque concordia, interna tranquillitas, quæ

4

ex unitate purioris doctrinae, et ex verae fidei fundamentis, secundum divini præscripti auctoritatem esformandis, enascitur, eluceret. Tantum autem aberat, ut Pontifici, de his enim nobis in præsentia sermo est, vel tunc temporis, vel posterioribus annis, à suis opinionibus in religione vel latum unquam discessissent, ut potius omnem identidem moverint lapidem, ut, si fieri possit, ipsum Pacis adco externæ subruerent fundamentum. Tentata quidem, diversis temporibus et locis, Religionum unio. Inlicita sunt, sub Regum et Principum auspiciis, inter Protestantium et Pontificiorum Theologos, Calvinianos jam non attingo iterata Colloquia; sed quo fructu, eventus docuit. Historia ecclesiasticae haud ignaris, notum est Colloquium Lipsiense, anno clo lxxix. Colloquium Augustanum, anno clo lxxx. Colloquium Wormatiense, anno clo lxxl. et clo lxxvii. Colloquium Ratisponense, anno clo lxxl. et recentius, anno clo lxx. Colloquium Badense, anno clo lxxxix. Colloquium, quod Charitativum nuncupabant, Thoruniense, anno clo lxxv. habitum; sed, præter rixas et contentiones, neutra pars quicquam domum retulit. Famosissimus iste libellus, à Pontificiis Interim dictus, prænunciis restaurandæ pacis ac concordiaë esse debebat: reapse autem pomum Eridos fuit, quo pestilentius nihil unquam potuisset inveniri. Et qua, quæso, ratione utriusque Religionis reconciliatio, in tanta doctrinae differentia, animorumque dissociatione et discordia, unquam esset speranda? Qvamdium adversarii unicum controversiarum theologicarum iudicem ac arbitrum non agnoscent solam scripturam sacram; qvamdium Pontificem ecclesie venditant caput, illudque infallibile; qvamdium inveterata de ecclesie suæ auctoritate et perfectione, et de secus sentientibus intentanda ignominia et damnatione, regnabunt præjudicia; qvamdium multifarios errores argumentis, e facris paginis petitis, demonstrari, traditionesque humanas tandem aliquid quando averruncari, non patiuntur; qvamdium erunt, qui externa commoda ac emolumenta divinae veritatis anteponenda arbitrantur; qvamdium neutra pars suam remittit sententiam; quarum altera non vult, altera non potest; utriusque enim discrepantia non ad res adiaphoras, sed ad fidei salutaris spectat capita, a quibus si nostra Ecclesia vel minimum discederet, a manifesta veritate & a Deo ipso discederet; qvamdium Religio magis in externis ceremoniis, quam in interno solius Dei cultu, sua ponet ornamenta; qvamdium acerbissima atraque bile haud raro refertissima scripta, contra sacratissimam Evangelii doctrinam, sincerosque ejusdem doctores, in lucem prodere non erubescunt: tandium pro re nata fieri haud potest, ut spes Pacis internæ genuinaque concordiaë erigenda, unquam serio assulgeat. Pia sunt certe desideria: sed optanda magis, quam rebus sic se habentibus, speranda. Rem ipsam, inprimis nostræ Ecclesie salutem et perpetuitatem, supremo omnium rerum gubernatori committimus, commendamus. Ceterum omnibus Ecclesie Evangelicæ inimicis id prudentia merito aprecamur, ut, quæ sibi congrua, suæque tranquillitati opportuna commodaque censent, haud aliis, Pace Religiosa gaudentibus, contra evidentissimam hujus Pacis literam et majestatem, temere invadeant; qviam etiam ad bonam frugem applicent animum.

Nos vero, quemadmodum Secularem hanc Celebritatem, quæ hujus seculi in nostra Ecclesia tertia est, felicioribus vitæ nostræ diebus adnueramus, quam vidisse, cui interfuisse, quis non gaudeat? sic eundem lætitiæ sensum et in aliis excitare nulli peperimus studio ac labori. Seniores ipsa ætatis gravitas sui monet officii, quo minus pietatis et grati in Deum animi sint immemores. Juventuti autem magnitudo tanti beneficii, quod Ecclesie Evangelicæ per Pacem Religiosam præbuit Deus, eo magis inculcanda, et vivis quasi coloribus delineanda est, quo excitator juvenilis memoria esse solet, ad ea, quæ nunc fiunt, et sensus animosque afficiunt, tenaciter retinenda. Videre mihi videor eos, qui jam pueri sunt, qua gravitate et dulcissima recollectione suis aliquando liberis, ferisque nepotibus enarrent, quam læta, quam egregia, quam magnifica Jubilæi nostri fuerint Sacra. Dei præ-

dicabunt laudes; Regis celebrabunt gratiam; vota excitabunt pro incremento Ecclesiae; pius accendunt perseverandis studium in agnita veritate. Audient id juniores; gratulabuntur nostro saeculo; sacro quodam horrore admirabuntur divinum imperium, sanctoque inflammati desiderio, eadem videre solennia à Deo precabuntur. Quam ut pietatem qualicumque nostro labore ferventiorum reddamus, Juventutem nostram studiosae largam dicendi suppeditavimus materiam, soli huic Jubilaeo aptatam, consecratam: id quod ipsimet attenti dijudicent Auditores.

SERIES DICENTIVM.

CHRIST. MAVRITIVS SCHWOPE, *Martish.* Tenebrae ante Lutherum in sacris pariter ac reliquis literis. Oda Alcaic.

JO. CHRIST. HAPPE, *Alcaniens.* Reformatio, s. de mirabili verique divino B. Lutheri circa puriore doctrinam in Ecclesia restituerandam, negotio. Orat. lat.

JO. MAVRITIVS ADOLPH. WINTER, *Griffliadiens.* Laus piorum Concordiae seclorum. Oda german.

CHRIST. LEBRECHT STOCK, *Libenav.* Insignia Mauriti El. Saxoniae merita circa Pacis religiose sanctionem. Orat. lat.

CHRISTOPH. GOTTFR. PAPE, *Frankleb.* Libertas et securitas religionis Protestantium per Germaniam in pace Westphalica: denuo stabilita. Orat. lat.

JO. HENR. BOTHE, *Martish.* Laus Concordiae. Oda german.

HENRIC. WILHELM. VOIGT, *Martish.* Piorum Majorum, imprimis Jo. Georgii I. El. Sax. pietas in celebrando primo ob Pacem religionis Jubilaeo. Orat. lat.

JO. ANDR. WITTENBECHER, *Martish.* Laus constantiae in religione. Verf. german.

VALENTIN. SALOMO HERBST, *Bemudorff.* Scholarum incrementa ex Reformatione. Carm. lat.

JO. CHRISTIAN. FRIDER. GOLLE, *Martish.* Pia imitatio Majorum in religionis perseverantia. Carm. german.

JO. GOTTFR. TAMM, *Martish.* Memorabilia hujus anni, scilicet, Hyemis inclementia, Fluminum exundatio, et Memoria Pacis religiose secularis. Carm. lat.

JO. AVGVST. NEVMANN, *Martish.* Felicitas Saeculi. Orat. lat.

JO. CHRISTIAN. KVPFFER, *Martish.* Carmen seculare. Oda german.

CHRISTOPH. FRIDER. SANGERHAVSEN, *Gras-Corbethen.*

JO. CHRISTOPH. KRABBES, *Dölnitz.*

JO. FRIDER. STEINBACH, *Zwencav.*

JO. ADAM. BVCHHOLDT, *Martish.*

CHRIST. GOTTLOR. LOEBE, *Lauchsbad.*

JO. AVG. PERLITZ, *Martish.*

GEORG. GOTTLOR. CHRIST. MORGENROTH, *Martish.*

SAM. CHRISTIAN. SEIDEMANN, *Martish.*

CAROL. AVG. RÜDINGER, *Lipsienf.*

Curam Dei de sua Ecclesia mirantur; Ecclesiae de seculari festo gratulantur; Regi, patriae, posteritati bene precantur.

Adeste itaque frequentes, Patroni Indulgentissimi; adeste sacris nostris secularibus; spectabitis, (vox haec praconis romani ad ludos seculares invitantis,) quae nec spectavit quisquam, nec amplius spectaturus est. Adeste, non solum Dei nobiscum, laudes elaturi, grateque mentis in Deum edituri indicia: verum etiam pro Ecclesiae et posteritatis, (ecquis hanc non amet?) salute supplicaturi, ut, qua nos, eadem perfruatur felicitas. Adeste, ut pii olim posteri ex nostra festivitate intelligant, quante nobis fuerit religioni sanctissima Religio. P. P. Martisburgi, d. xxx. Septembr. A. R. S. clo lccc lv.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







9 C 16

9 C 16



9816

W 18





9

AD
SECVLAREM CELEBRITATEM
DE
PACE RELIGIOSA



AVGVSTVS VINDELICORVM
xv. Sept. clb lxxv.
ANCITA
IN
MARTISBVRGENSI
Sept. clb lxxx lv.
INSTITVENDAM,
AVTORES, AMICOS,
AS EST PIETATE
INVITAT
SAR HOFFMANN
ECTOR.
RTISBVRGI,
LAITENBERGERIANA.

